



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Designatio Parochorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

## I N D E X

eorum, quæ in hac Synodo continentur.

**O** rdo & cærimonia Synodi.  
Designatio Parochorum.

Constitutionum Synodaliũ

CAP. I. Ingressus Decretorum.

CAP. II. De Ecclesiis.

CAP. III. De his, quæ Pastores concernunt  
in Ecclesiis.

CAP. IV. De personis Parochorum quoad  
ad se.

CAP. V. De personis Parochorum quoad pro-  
ximum.

CAP. VI. De Pastoribus Orthodoxis, in  
quorum Parochiis Exercitium A. C. publi-  
cum, vi pacis publicæ, in Germania tole-  
randum.

ORDO ET CÆRIMONIÆ  
SYNODI.



**V**t primum Illustrissimus ac Reverendissimus Episcopus Osnbrugensis, D. FRANCISCVS GVILIELMVS, vi pacis publicæ in Germaniã, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo, die trigesima Novembris, Diœcesi suæ Osnbrugensi, manu hostili, partim anno trigesimo tertio, partim anno quadragesimo septimo, sibi ablata, restitutus fuit; vix ad tres quatuorve dies Iburgi substiterat; & mox operi manum admovit; vineam Domini, quam ferus aper depastus fuerat, ut restaurare posset, omnem adhibuit conatum; ac idcirco superstites adhuc Orthodoxæ fidei Parochos, omnes exules, ad diem duodecimam Decembris Iburgum citari mandavit, Synodum, non Diœcesanam quidem, sed territorialem celebraturus. Comparuerunt ad præfatum tempus singuli, & præter eos nonnulli alii; qui in locum defunctorum, aut aliorum non Catholicorum, vi pacis publicæ, surrogati fuerunt.

Die itaque duodecimo Decembris, habito prius Sacro de Spiritu sancto in Ecclesia S. Clementis Iburgi, per Dominum Abbatem Iburgensem, ad horam nonam matutinam in aulâ majori Abbatiæ Iburgensis, in qua Illustrissima Sua Celsitudo, ob destructam suam hostili furore Residentiam Episcopalem, tunc commorari debebat, omnes comparuerunt. Præsentibus omnibus, Illustrissimus, indutus rochetto, cruce pectorali, mozettâ, & byreto rubro, comitantibus Illustrissimam Suam Celsitudinem Domino Abbate Iburgensi Iacobo Thorwarth, & Officiali Curie suæ Episcopalis Osnbrugensis, Domino Ioanne Bischofinck, I. V. L. & Canonico ad S. Ioannem Osnbrugi, nec non quibusdam Patribus, tam Dominicis, quam stri-

ctioris observantiæ S. Francisci, dictam aulam ingressus est, & mox genuflexus inchoavit hymnum, Veni Creator Spiritus. Post primum versum decantatum, surrexit Illustrissimus, & reliqui omnes, quoad prædictus hymnus absolutus fuerat. Finio hymno, Illustrissimus subjunxit Collectam, Adsumus Domine, ut in Pontificali. Post hæc per dimidiã horæ spatium Latino sermone ad Clerum præsentem peyoravit. Quo finio, denuo citati omnes ad horam secundam pomeridianam; ac deinde Illustrissimus, modico spatio genuflexus, cum reliquo Clero, opem & assistentiam Spiritus sancti humillimis ad Deum precibus imploravit; & committatus à suis, discessit.

Hora secunda pomeridiana, loco eodem, coram Illustrissima sua Celsitudine, Domino Abbate Iburgensi, D. Officiali Osnbrugensi, & aliis diversorum Ordinum Religiosis, singuli de Clero præsentibus, soli evocati fuerunt, ut ad sequentia Interrogatoria responderent: Quale nomen, cognomen, quos habeant Ordines; ubi & à quo ordinati; quando expulsi, seu ejecti hostili manu ex suis beneficiis & officiis Ecclesiasticis; cui rei & quousque studuerint; quantum antehac habuerint numerum personarum, communicantium, Catholicorum, heterodoxorum; quales reditus, qualia paramenta, & alia Ecclesiarum iura; item ubi & quomodo hactenus in exilio vixerint, sese sustentarint; testimonia desuper vitæ & morum exhibentes. In specie etiam pro cura animarum examinati, & Parochiis singulis præfixi fuerunt.

DESIGNATIO  
PAROCHORVM.

**I**N Cathedrali Ecclesia Osnbrugensi S. Petri, Conradus Burenus, ad S. Ioannem ibidem Canonicus.

In



In Collegiata S. Ioannis Osnaburgi, Ioannes Wernekinck.  
 In Biffendorff, Iacobus Lixinger, Ordinis Prædicatorum.  
 In Rulle, Ioannes Plisker, Ordinis Cisterciensium, in Campo Mariæ professor.  
 In Behlem, Ioannes Brinckman.  
 In Wahlenhorst, Christophorus Sack.  
 In Schleddehausen, Bernardus Eilers, Ordinis S. Francisci strictioris observantiæ professor.

*Decanatus Reckenbrugenfis.*

In Civitate Quackenbrugenfi, Christophorus Strengerus, SS. Theologiæ & Medicinæ Doctor, & Decanus ibidem.  
 In Gutterflo, Ioannes Sprengerus, Canonicus item Collegiata Ecclesiæ SS. Ægidii & Caroli Imperatoris in Widenbrug.  
 In Langenberg, Hermannus Volmari.  
 Ad S. Vitum, Ioannes Camen, Canonicus item Widenbrugenfis.

*Decanatus Iburgensis.*

In Iburg, P. Hermannus Berckhove, Ordinis S. Benedicti, & in Conventu Iburgensi Prior.  
 In Glaen, D. Abbas Iburgensis, Iacobus Thorwarth.  
 In Laer, Hermannus Geistman.  
 In Glandorff, Hermannus Otting.  
 In Hagen, Theodorus Mauriti.  
 In Borcklœ, Henricus Langen.  
 In Ozede, Baldewinus Busch.

*Decanatus Fürstenauensis.*

In Quakenbrugge, P. Antonii Heiken, Ordinis S. Francisci strictioris observantiæ professor.  
 In Berffenbruck, P. Ioannes Wenninck, Ordinis Cisterciensium ex Campo Mariæ.  
 In Ankum, Rudolphus Briekwede.  
 In Alshausen, Lucas Beckman.  
 In Nienkerken in Hulsê, Iacobus Borgel.  
 In Battbergen, Ioannes Ioannis.  
 In Voltage, Lambertus Swierman.  
 In Swasdorff, Bolardus Bolardi.  
 In Merßen, Ioannes Christianus Klinckhamer.

*Decanatus Vordenfis.*

In Vorden, P. Iodocus Gerhardi, S. I.  
 In Nienkercken, P. Ioannes Zurstrassen. 51  
 In Damme, Bernardus Morhaus.

*Decanatus Gronenbergensis.*

In Melle, P. Bernardus Loper, S. I.  
 In Gesmell, Gerhardus Schulte.  
 In Rimlo, Ioannes Brogberen, I. V. L. Can. in Coll. SS. Ioannis Bapt. & Euang. Ratisbonæ.  
 In Wellingholthausen, Hermannus Hoffhaus.  
 Ad S. Annam prope Melle, Bernardus Hamhove.

*Decanatus Huntelburgensis.*

In Huntelburg, P. Henricus Freitag, Ordinis Prædicatorum.  
 In Ostercappelen, Ioannes Busch.

DECRETA SYNODALIA,

Pastoribus intimata, XIII Decembris M D C L,  
 in Synodali conventione Iburgi.

**F**RANCISCVS GVILIELMVS, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Osnabrugensis, &c. omnibus orthodoxis Pastoribus animarum, qui sunt in Ecclesia Osnabrugensi. Gratia vobis, & pax à Deo, Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis; qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus & ipsi nos consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipsi à Deo: quoniam, sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra. Verbis hinc S. Pauli Apo-

stoli, merito & apte vos alloquimur. Tribulationes & passiones cum Christo & propter Christum sentimus, ultra septendecim annos, graves. Superavimus eas gratia Dei, quæ data est nobis, ut denuo vocaremur in opus ministerii divini, Pastores scilicet animarum, sanguine Iesu Christi redemptarum. Cui officio quomodo satisfacere, & eâ vocatione, quâ vocati estis, digne ambulare possitis, antehac tam ex sacra Scriptura, quam ex œcumenicis Conciliis, Statutis Metropolitanis, Synodali- bus etiam, tam Prædecessorum Nostrorum, præsertim Cardinalis Zollerani, quam No- stris, vobis observanda quædam proposuimus. Cum autem jam & bella, & mutationes regi- minis, mores alicigenarum gentium, domina- Civ. 2.